AUTHOR:

DITTENBERGER, WILHELM

TITLE:

OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE

PLACE:

HALIS

DATE:

1886

Master Negative #

93-81335-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dittenberger, [~~Karl Friedrich~~] Wilhelm. 1840-1906
Observationes epigraphicae.
Halis 1886. Sq.Q. 16p.



Halle (Ger.) universität. Index scholarum.

No. 4 of a v. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-28-93 INITIALS: JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

999
1

No. 4.

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXXXV—MDCCCLXXXVI

A DIE XV. M. OCTOBRIS MDCCCLXXXV AD DIEM XV. M. MARTII MDCCCLXXXVI

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

INSUNT

GUILELMI W. DITTENBERGERI
OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE.



HALIS
FORMIS GEBAUERO-SCHWETSCHKEIANIS.

1885-86.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

IOANNES CONRAD

CUM SENATU

S. D.

CIVIBUS SUIS.

Graecorum et Romanorum reipublicae formas atque instituta inter se comparanti admodum memorabiles videri debent diversae rationes, quas utrique in civitate peregrinis tribuenda secuti sunt. Quae quanti momenti essent, ne tum quidem, quum primum utriusque gentis res arctiore quodam necessitudinis vinculo inter se coniungi inciperent, homines in re publica versatos fugit: neque enim verius aut acutius de illo discrimine iudicari potest, quam factum est anno a. Ch. n. 217 a Philippo Demetrii f. Macedonum rege in epistula ad Larisaeos data, cuius notitiam, ut multorum aliorum monumentorum epigraphicorum, felici H. G. Lollingii industriae atque sollertiae debemus.*) Neque mirandum est, quod rex id commemorasse satis habuit, quod a Graecorum moribus omnium maxime abhorreret, Romanos servis suis quos manu mitterent simul cum libertate etiam civitatem donare; hoc enim sufficiebat consilio eius qui non doctam de utriusque nationis iure publico commentationem conscribere in animo haberet, sed breviter indicare vellet, quantum ad opes Romanorum augendas contulisset liberalitas illa in civitatis iure cum peregrinis communicando. Egregie igitur fallatur si quis ex epistula Philippi colligat, in civitate peregrinis ingenuis tribuenda nihil fere discriminis, quod quidem commemoratione dignum esset, inter Graecorum Romanorumque morem intercessisse. Immo, ut de levioribus taceam, primum e Graecorum consuetudine civitas non decernebatur peregrinis, nisi praemii causa eis qui beneficia in rem publicam contulerant; quae res in titulo Milesio apud Rayetum Revue archéologique N. S. XXVIII (1874) p. 107 (S. I. G. 314) commode significatur verbis *οἵδ[ε |ἐγ]ένοντο πολῖται κατ' εὐεργεσίαν.* A Romanorum vero more hoc alienum fuisse, uno exemplo Tusculanorum, quibus illi ad officium redeuntibus post defectionem pacem et perbrevi tempore intermisso civitatem concesserunt (Liv. VI, 26, 8. 36, 2) satis demonstratur. Deinde, quae res cum illa coniunctissima est, Graeci peregrinos in civitatem recipere solebant singillatim; plerumque enim singulis de- I.

*) Ed. Lolling, Mittheilungen des arch. Instituts VII (1882) p. 61 n. 1 (inde C. Robert Hermae XVII p. 467. A. Fick, Bezzenberger's Beitr. zur Kunde der indog. Spr. VII p. 277. P. Cauer, Delectus insc. 409). Lapide iterum collato Lollingius aliquot locorum lectiones emendatiores dedit, quas ex eius litteris expressit Robert Hermae XVIII p. 318 (cum his correctionibus titulum repetivit Fick in Collitzii collectione inscr. diall. I p. 133 u. 345).

cretis singuli homines hoc honore afficiuntur, ac si quando, quod sane non admodum raro usu venit, duo aut tres aut adeo plures uno decreto comprehenduntur, eorum causam ita coniunctam esse apparet, ut separari non potuerint.*) Atque in hoc praemio distribuendo alios Graeciae populos parcissimos, alios satis liberales fuisse non est mirandum, veluti Lacedaemonii quidem usque ad quintum a. Chr. saeculum non plus quam duos peregrinos in ordinem civium qui optimo iure essent recepisse narrantur (Herod. IX, 35), contra Atheniensibus nimia in ea re levitas atque indulgentia ab oratoribus exprobratur (Dem. XXIII, 223). Sed utut hoc est, eis quos supra indicavi terminis civitates Graecae ante dominationis Macedonicae tempora se continuerunt, neque facile invenies exemplum civitatis toti ordini aut generi hominum aut toti populo peregrino uno eodemque tempore datae, si recesseris ab eis quae per turbas civiles aut per occasionem reipublicae de integro constituendae atque ordinandae facta sunt**), aut quorum causa plane singularis est.***)

At inde a tertio a. Chr. saeculo antiquus ille mos paullatim immutatus est. Ut enim Romani inde ab eo tempore Graecorum morem secuti civitatem singillatim hominibus de re publica bene meritis praemio dare coeperunt (Liv. XXVI, 21, 11. XXVII, 5, 7. Madvig, Verfassung und Verwaltung des Römischen Staates I. p. 24), ita apud Graecos vice versa usu receptum est, ut magnae peregrinorum multitudini simul eodem decreto civitas tribueretur. Qua de re, etsi ne apud scriptores quidem testimonia plane desunt†), tamen multo plura et accuratiora didicimus ex titulis recens inventis, inter quos praecipue memorabiles sunt tres Thessalici. Ac primo quidem loco commemoranda est tabula Larisaea, de qua supra dixi, quae duas Philippi regis epistulas ad populum Larisaeorum datas cum duobus ipsorum plebiscitis continet. Cuius egregii monumenti de argumento et rationibus post ea quae Th. Mommsenus Hermae XVII p. 477 sqq. exposuit verba facere supervacaneum est. Alter titulus Pharsali inventus (Heuzey, Annuaire de l'association pour l'encouragement des études Grecques 1869 p. 11. Mission archéologique de Macédoine p. 425 u. 200. Fick ap. Collitz, Sammlung der griechischen Dialekt-Inschriften I p. 127 n. 326. Cauer Delectus inscr. 395) quin eiusdem fere aetatis sit, vix dubitari licet. Ea certe argumenta, quibus Heuzeyius eum medio aut adeo ineunti quarto a. Chr. n. saeculo vindicare conatus est, nemo post lapidem Larisaeum inventum amplius tuebitur; neque enim aut in sermone aut in litteratura huius tituli quicquam inest, quod eum illo vetustiorem esse indicet. Praeterea ne in hoc quidem titulo restituendo aut interpretando post Fickii operam quicquam difficultatis relictum est. Restat tertium decretum Phalannaeorum, inventum illud quidem et publici iuris factum a Lollingio Mittheilungen des arch. Instituts in Athen VIII (1883) p. 102, repetitum ab A. Fickio in Collitzii collectione I p. 383 u. 1329, sed a neutro plane recte lectum et restitutum. Lollingius enim

) Sic ut hoc exemplo utar, in titulo Milesio quem supra commemoravi (S. I. G. 314) septem homines simul civitate donantur, sed ex eis sex Aenii sunt, quos cognationis vinculo coniunctos fuisse nominum rationes indicant ([Δι]ονύσιος Σπαρτάκου Αἴνιος, Διονύσιος Διονυσίου Αἴνιος, Πυθίων Διονυσίου Αἴνιος, Δημήτριος Βοήθου Αἴνιος, Ἀπολλώνιος Δημητρίου Αἴνιος, Ἀρχέλας Διονυσ[ίου] Αἴνιος*). Quare quin ii coniunctim beneficio aliquo populum Milesiorum affecerint non videtur dubitandum.

**) Veluti de Clisthene Aristoteles Pol. III, 2, 1275b 35 haec habet: *πολλοὺς γὰρ ἐφυλέτευσε ξένους καὶ δούλους μετοίκους*, quae etsi manifesto corrupta sunt, tamen de civitate uno eodemque tempore multis hominibus data hic dici luce clarius est.

***) Id cadit in Plataeenses ab Atheniensibus, quorum fidelissimi semper socii fuerant, in civitatem receptos post patriam urbem a Thebanis eversam.

†) Cf. Plut. Arat. 36: *καὶ τὴν πόλιν (Μαντίνειαν) ἑλὼν (Ἄρατος) φρουρὰν ἐνέβαλε καὶ τοὺς μετοίκους πολίτας ἐποίησεν αὐτῶν.*

tituli verba minusculis litteris expressit hunc in modum: *Ἀγαθᾷ τύχᾳ· λειτορεύον|τος τοῖ Ἀσκ[λ]απιοῖ Ἀντιμά|χοι Φιλιουνε[ίοι], ταγευόντουν | Κρατεραίοι Π[α]υσανιαίοι, | Στρατίπποι Δ[α]κρατιππείοι, | Κλεολάοι Ἀν[τ]ικρατείοι, | Νικίας Ἡρακ[λε]ιδαίοι, | Ἱπποκράτεις Ἱ[ππ]οκλεαίοι, | [Ε]ὐρυλόχοι Προ[υ]ταγοραίοι, | [Φ]αλανναίουν [ἁ] πόλις ἔδου|κε Περραιβοῖς κ[αὶ] Δολόπεσ|σι καὶ Αἰνιάνεσ[σ]ι καὶ Ἀχαι|οῖς καὶ Μαγνείτε[σ]σι καὶ τοῖς | ἐς τὰν Φαλανναίαν πολι|τείαν τοῖς ποκγραψαμένοις | καὶ δοκιμασθέντεσσι κατ | [τὸν] νόμον νικᾶν, Ὀ[ν]χειμα[σ]σ|[τνόχ]ου Χαίρουνος, Διοδούρου | [Ἀπολ]λοδούροι κτλ.* Quod exemplum immutatum repetivit E. Reuter de dialecto Thessalica, Berolini 1885 p. 4, nihil curans difficultates quae neminem paullo attentiorem fugere poterant, quaeque iam breviter sed accurate indicatae erant a Fickio: neque praepositioni *ἐς* cum accusativo coniunctae in titulo Thessalico locus est, neque omnino legitimam structuram et sanam sententiam habet hoc enuntiatum, nam praeterquam quod articulus *τοῖς* ante *ποκγραψαμένοις* repetitus ferri nequit, quia *ἐς τὴν Φαλανναίαν πολιτείαν* utique in Lollingii lectione ab hoc participio pendet, etiam obiectum verbi *ἔδουκε* desideratur; nam *πολιτείαν* huc retrahi nullo modo licet cum propter verborum collocationem, tum quia *ἐς τὰν Φαλανναίαν* non convenit cum *ποκγραψαμένοις*; nam *ἡ Φαλανναία* substantivo nomine non addito nihil aliud significare potest quam agrum Phalannaeum.

Hae difficultates sane omnes evitantur a Fickio, qui v. 11—20 sic restituit: *[Φ]αλανναίουν [ἁ] πόλις ἔδου|κε Περραιβοῖς κ[αὶ] Δολόπεσ|σι καὶ Αἰνιάνεσ[σ]ι καὶ Ἀχαι|οῖς καὶ Μαγνείτε[σ]σι καὶ τοῖς | ἐς τᾶν Φαλανναιᾶν πολί|(ων πολι)τείαν τοῖς ποκγραψαμένοις | καὶ δοκιμασθέντεσσι κατ | [τὸν] νόμον· Νικάνο[ρι] Χείμας, Σ[αμί]χου Χαίρουνος, Διοδούρου [Ἀπολ]λοδούροι κτλ.* Nihil hic est, quod pugnet cum legibus dialecti Thessalicae, nihil quo structurae ratio turbetur aut enuntiati sententia obscuretur. Tamen viro doctissimo et ingeniosissimo assentiri nequeo, quia in argumento tituli ab eo constituti est quod gravissimas dubitationes moveat. Nam quae tandem sunt *αἱ Φαλανναῖαι πόλεις*? Fickius ni fallor intellexit civitates quasdam imperio Phalannaeorum subiectas. Qua in re significanda etsi *αἱ Φαλανναίων πόλεις* rectius dici mihi videtur collato C. I. A. II 477b (Add. p. 427) *πᾶσιν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς οἰκοῦσιν τὰς π[όλ]εις τὰς Ἀθηναίων*, tamen illud quoque tolerari posse concedo; at fuisse eiusmodi oppida praefracte nego. Etenim quae civitas compluria alia oppida in sua potestate haberet, eam insignem quendam opum atque potentiae inter Thessalos locum tenuisse consentaneum est. Quod ut in Phalannaeos cadat tantum abest, ut contra tenuissima atque obscurissima sit eorum in litteris antiquis memoria. Nec facile dici potest, ubi terrarum illa oppida sita fuerint; Phalanna ex omnibus regionibus cingebatur oppidis exiguo intervallo ab ea distantibus, quae omnia sui iuris erant: a meridie erat Larisa, ab oriente Gyrton et Gonni, a septentrionibus Oloosson, ab occidente Cyretiae, Metropolis, Atrax. Inter quas tam angustum spatium relinquitur, ut ipsum agrum Phalannaeorum non late patuisse appareat, nedum aliorum quoque oppidorum agris locus sit. Atque ut omnia haec argumenta refelli possent, unum idque firmissimum maneret. Nempe ut erroris a lapicida commissi causam sagacissime excogitavit Fickius, ita omnino erratum esse nequaquam probavit. Nam quid impedit, quominus littera nulla mutata simpliciter legamus *τοῖς ἐς τᾶν Φαλανναιᾶν*, i. e. filiis mulierum Phalannaearum ex peregrinis patribus genitis? Constat in civitatibus Graecis haud exiguas fuisse controversias de iure ac statu eorum, qui non ambos parentes cives haberent, legesque hac de re non semel immutatas esse. At Athenis quidem omnes illas dissensiones ad eos modo spectavisse, qui paterna origine cives essent, cum matrem peregrinam haberent, probavit Philippi, Beiträge zu einer Geschichte des attischen Bürgerrechts p. 62 sqq. Eos vero, qui a patre peregrino ex matre cive procreati essent, semper

peregrinos habitos esse. Neque desunt rationes, quibus eandem legem etiam in aliis civitatibus valuisse probetur. Nam quum constet, paterna origine definiri, cuius familiae, gentis, phratriae, tribus quis sit, admodum improbabile est, in civitatis iure Graecos non idem secutos esse. Quod quoniam eiusmodi homines natura cives non erant, sed tamen arctissimo necessitudinis vinculo cum civibus quibusdam coniuncti, facile intellegitur, cur in civitate iussu populi donanda horum praecipue ratio habita ist. Quod aut ita fieri poterat, ut peregrinus ex matre cive natus, quia propinqui eius matris magnam in republica auctoritatem habebant, singillatim civitate donaretur, etiamsi nullo suo beneficio id praemium meruisset, aut ita, ut una cum aliis peregrinorum generibus etiam illis ad unum omnibus civitas decerneretur. Atque ut huius rei exemplum tenemus titulum Phalannaeum, ita alterum illud testatur memorabile Amorginorum plebiscitum editum a Salomone Reinach Bulletin de correspondance Hellénique VIII (1884) p. 444 n. 10, quod totum hic exscribo propter lectores quibus fortasse illius libri copia non est: . . . *ιόμενος χι . . . . | . . . ως καὶ ἐλευθέρως [. . . . | . . μ]ετὰ τῆς ἀδελφῆς καὶ τὴν πρὸς | [πάντ]ας ἔχων εὔνοιαν φιλικῶς· ὅπως | [δὲ κ]αὶ ἡ πόλις τοὺς εὐνοοῦντας προ[κ|α]λεσαμένη πρὸς εὔνοιαν αὔξῃ τὸ | [π]ολείτευμα τῶν προγόνων τοῖς ὑ|πάρχουσιν χαριζομένη, τύχῃ ἀγα|θῇ, δεδόχθαι τῇ βουλῇ, Σεραπίωνα | Διονυσίου Σελευκῇ, Νικαρέτης ὑ|πάρχοντα υἱὸν τῆς πολείτιδος, ὄντα | δὲ ἔτι καὶ οἰκῆον ἀγαθῶν καὶ πρώτων | τῆς πόλεως ἀνδρῶν, δεδόσθαι [πο]|λιτήαν αὐτῷ καὶ γῆς ἔνκτησιν καὶ οἰ|κίας, μετέχοντα πάντων ὧν καὶ οἱ | λοιποὶ πολεῖται μετέχουσιν· ἐπικε|κληρῶσθαι δὲ αὐτὸν ἐπὶ τὴν τῶν | συνγενῶν φυλὴν τὴν Βασιλειτῶν κα|λουμένην. τὸ δὲ ψήφισμα τόδε ὁ | μὲν γραμματεὺς ἀναγραψάτω εἰς | τὰ δημόσια γράμματα, Σεραπίων | δὲ εἰς στήλην λιθίνην, καὶ στησάτω | εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἀθηνᾶς | τῆς Πολιάδος.* Plane similis causa fuisse videtur Agoraclis illius, cuius de civitate exstat plebiscitum Calymniorum editum a C. T. Newtono *Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 59 n. CCXXXVIII: *Ἔδοξε τᾶ βουλᾶ καὶ τῷ δ[άμῳ]|, γνώμα προστατᾶν· ἐπειδὴ Ἀ|γοράναξ Ἀγορακλεῦς ἐπελθὼ|ν ἐπί τε τὰν βουλὰν καὶ τὸν δᾶ|μον ἀξι(ο)ῖ τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν | πρόγονον Ἀγορακλῆ ποιήσασ|θαι πολίταν, δεδόχθαι τᾶ βουλᾶ[ι | κ]αὶ τῷ δάμῳ, Ἀγορακλῆ τὸν υἱ|[ὸ]ν τὸν πρόγονον τὸν Ἀγοράνα|[κ]τος πολίταν ἦμεν Καλυμνί|ων καὶ αὐτὸν καὶ ἐγγόνους· φυ|λὰν δὲ αὐτῷ ὑπάρχειν καὶ | συγγένειαν ἂν καὶ τῷ πατρὶ | μέτεστι Ἀγοράνακτι· τὸ δὲ ψά|φισμα τόδε ἀναγράψαι εἰς στά|[λ]αν [λι]θ[ίναν] κα[ὶ] θέμεν εἰς [τὸ] ἱ[ερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος]*. Videmus Agoranactem Agoraclis f. civem Calymnium petiisse a senatu populoque, ut privigno suo*) civitas decerneretur. Quod si quaerimus, quomodo fieri potuerit, ut vitricus civitatis ius haberet, quo privignus etiamtum careret, possunt sane plures eius rei causae excogitari, sed nescio an simplicissimum sit statuere, eandem mulierem civem Calymniam primum nupsisse peregrino cuidam, ex quo matrimonio natus esset Agoracles, deinde alteris nuptiis coniunctam esse cum Agoranacte Calymnio.

Sed redeamus ad plebiscitum Phalannaeorum, cuius de argumento nunc demum recte iudicari poterit. Namque Lollingius quidem sibi persuaserat, hic gentibus Perrhaeborum,

*) Vocem *πρόγονος* hic nota atque volgari vi privignum significare manifestum est, neque cum ea re pugnat, quod Agoracles Agoranactis filius dicitur v. 5. 8. Etenim *πρόγονος* vocabulum proprie adiectivum est, ut recte et legitime dicatur *υἱὸς πρόγονος*, ex quo deinde brevitatis studio natus est substantivus ipsius vocis *πρόγονος* usus. Plane idem cadit in *στρατηγὸς ὕπατος* et *ξένος μέτοικος*, quod iniuria coniecturis tollere conati sunt homines docti apud Aristophanem Eq. 346. Neque quicquam offensionis habet quod vitricus *πατήρ* vocatur, praesertim cum propria illius significationis vox in Graeco sermone sit nulla. Id sane mirum est, privignum eodem nomine uti cum patre vitrici; quod casui tribui nullo modo potest, sed filius post alteras matris nuptias nomen mutasse videtur.

Dolopum, Aenianum, Achaeorum, Magnetum universis civitatem dari, sed qui praeter eos cives Phalannaei fieri vellent, eorum causas singillatim cognoscendas atque probandas esse. Sed haec interpretatio nititur ea lectione, quam supra refutavimus; atque omnino singulare esset et vel illa aetate plane incredibile, unum satis exiguum populum uno eodemque decreto quinque nationibus universis civitatem dedisse. Immo apparet, *τοῖς ποκγραψαμένοις* non indicare alterum genus hominum praeter illas gentes, quae antea enumeratae sunt, sed appositionis locum tenere, qua quae ante significata sunt accuratius definiantur ac restringantur. Quod vero eis modo vicinarum gentium hominibus aut mulierum Phalannaearum filiis civitas datur, qui se inscribendos curaverint et in iudicio probati erunt, prorsus ex more fit, cuius moris testem habemus titulum Dymaeum editum a J. Martha Bulletin de correspondance Hellénique III (1878) p. 41 n. 1 (Syll. Inscr. Gr. 316): *Ἐπὶ θεοκόλου Ἀριστολαΐδα, | βουλάρχου Τιμοκράτεος, προστάτα Κύλ[λ]ιος, | γραμματιστᾶ δαμοσι|οφυλάκων Μενάνδρου, | τούςδε ἁ πόλις πολί|τας ἐποιήσατο συμπολε|μήσαντες τὸμ πόλεμον | καὶ τὰμ πόλιν συνδια|σώσαντες, κρίνασα κα|θ' ἕνα ἕκαστον.**)

Paullo aliter sane res se habet in tabula illa Larisaea; in priore enim plebiscito omnibus inquilinis decernitur civitas, neque quicquam de singulorum probatione adicitur. Quorum nominibus deletis cum decretum iterare iuberet Philippus, sane mentionem iniecit iudiciorum, quibus ei qui inexpiabile aliquod scelus commisissent aut alio nomine civitatis iure indigni viderentur persequendi essent. At ne tum quidem de omnibus novis civibus singillatim iudicatum esse, sed eos modo qui ab aliquo accusarentur, in iudicium vocatos, ex epistulae et plebisciti alterius verbis luculentissime apparet. Cave tamen inde quicquam colligas de aliarum civitatium Graecarum more; neque enim sua sponte illa decreverunt Larisaei, sed iussi a rege ac paene coacti. Quod si vim atque effectum illius probationis accuratius reputaveris, facile intelleges, multo minus late patere Phalannaeorum decretum, quam primo aspectu videatur. Etenim verbis quidem hoc plebiscitum, quo Perrhaebi, Magnetes, Aenianes, Achaei, Dolopes Phalannaei fiunt, non ita dissimile videtur nobilissimo illi Romanorum decreto, quo uno eodemque die tota Sabinorum natio in civitatem recepta est. Re autem ad solos illarum gentium inquilinos (*μετοίκους*), qui Phalannae essent, pertinuisse luce clarius est. An quemquam Hypata aut Lamia aut Demetriade Phalannam iter fecisse credibile est, ut ibi nomen daret et iudicibus Phalannaeis de sua dignitate iudicium permitteret? Supervacaneum igitur erat definite addere inquilinorum mentionem. Atque reliquos quoque eiusdem generis titulos qui aetatem tulerunt ad solos inquilinos spectare facile comprobatur: In titulo Larisaeo id ipsum enuntiatur (v. 6 *τοῖς κατοικοῦσιν παρ' ὑμῖν Θεσσαλῶν ἢ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων*. v. 14 *τοῖς κατοικέντεσσι παρ' ἄμμε Πετθ[α]λοῦν καὶ τοῦν ἄλλουν Ἑλλάνουν*); neque aliter res se habuisse videtur in decreto Dymaeorum edito a J. Martha Bulletin de correspondance Hellénique II (1878) p. 94 n. 2, repetito cum supplementis ingeniosissimis ab A. Fickio apud Bezzenbergerum, Beiträge zur Kunde der indogerm. Spr. V (1880) p. 321 n. 2. Nam etsi hic titulus adeo mutilatus est, ut pleraque nequeant certa atque indubitata ratione restitui, tamen quin v. 1 recte suppleverit Fickius *[Ἐπὶ τ]οῖςδε εἶμεν τὰν πολιτ[είαν] ἐποί[κοις* non videtur dubitandum; *ἔποικοι* vero sunt qui alibi frequentissime *μέτοικοι*, haud raro *πάροικοι*, nonnunquam *σύνοικοι* (Bulletin de corr. Hell. V p. 404 n. 14. Syll. Inscr. Gr. 325) vocantur. Porro Pharsalium quoque titulum ad inquilinos spectare facile perspicitur ex vocibus *τοῖς καὶ οὕς***) *ἐξ*

*) Sequuntur quinquaginta duorum hominum nomina.

**) De harum particularum significatione cf. quae exposui Syll. I. G. 453 not. 5.

ἀρχᾶς συμπολιτευομένοις καὶ συμπολ[εμεισάντε]σσι, in quibus *συμπολιτεύεσθαι* non posse propria ac volgari vi de communione civitatis intellegi sponte patet; qui enim iure cives sunt, non possunt civitate donari, qui vero iniuria se ita gesserunt, tanquam si cives essent, eis ius civitatis quasi quoddam fraudis praemium donatum esse a probabilitate plane abhorret. Quare restat ut *συμπολιτευομένοις* minus accurate de eis intellegamus, qui domicilium Pharsali habuerint; cuius significationis nescio an aliud exemplum exstet in manumissionis instrumento Delphico apud Wescherum et Foucartum Inscr. rec. à Delphes 53 (Syll. Inscr. Gr. 465): *μὴ οἰκησάτω δὲ Ἀσία ἔξω | Λιλαίας μηδὲ πολιτευσάτω ἄνευ τᾶς Ἐπιχαρίδα γνώμας· εἰ δὲ οἰκήσαι ἢ πολιτένσαιτο, ἄκυρος αὐτᾶς | ἔστω ἁ ὠνὰ καὶ ἀτελής.* Nam hic de civitatis iure in urbe quadam adipiscendo dici perquam improbabile est, quum de muliere eaque libertina agatur. Quodsi domicilium potius intellegimus, sane *μὴ οἰκησάτω μηδὲ πολιτευσάτω* et *εἰ οἰκήσαι ἢ πολιτεύσαιτο* tautologiam habent, sed eam in eiusmodi formulis frequentissimam esse docent quae statim insequuntur et in permultis id genus titulis item leguntur *ἄκυρος αὐτᾶς ἔστω ἁ ὠνὰ καὶ ἀτελής.* Iure igitur in tilulo Pharsalio de inquilinis dici statuemus, qui illic ut Athenis arma ferre debebant una cum civibus. Qua in re quum fidelem utilemque Pharsaliis praestitissent operam, praemii loco civitatem nacti sunt. Simillima fuit causa eorum quinquaginta duorum hominum, qui in priore ex duobus titulis Dymaeis supra commemoratis (Syll. Inscr. Gr. 316, cf. p. VII) recensentur; quare hos quoque inquilinos fuisse probabile est.

Iam quaeret quispiam, cum alibi inquilini omnes sine discrimine in civitatem recipi consueverint, cur in titulo Phalannaeo quinque gentium nominatim mentio fiat. Et quod reliquorum Graecorum extra Thessaliam incolentium nulla ratio habetur, facile explicatur; aut enim in oppido exiguo et mediterraneo nulli fuerunt inquilini ex longinquioribus Graeciae partibus oriundi, aut, si qui fuerunt, Phalannaei eos secum non tam arcta necessitudine coniunctos iudicabant, ut civitatis ius cum eis quoque communicandum videretur. At Thessalos non commemorari sane mirum est. Quod nescio an aliter expediri nequeat, quam ut statuamus, paullo ante hoc decretum aliud factum esse, quo, quicunque inquilini Thessali ex vicinis oppidis Phalannae essent, eis civitas decerneretur.

Haec habui quae disputarem de tribus huius generis titulis Thessalicis qui soli aetatem tulerunt. Nam quartum, qui est apud Lollingium Mitth. des arch. Inst. in Athen VIII p. 112, iniuria huc rettulit E. Reuter de dialecto Thessalica p. 13, cum diceret: '*Nomina νεοποιήτων hoc decreto continentur, quibus civitatem addicit Suidarum urbs*'. Atqui ex Lollingii quidem transscriptione, quam hic quoque ad litteram expressit Reuterus, titulus nihil continet nisi voces *Σουιδάουν τὸ κοινὸν*, quibus subiunctus est laterculus nominum casu nominativo cum adiectivis patronymicis. Quae insolita tituli forma quid sibi velit sane perspicuum non est, sed hoc non esse decretum de peregrinis in civitatem recipiendis quovis pignore sponderi licet. Quid quod omnis obscuritas remota est Fickii sagacitate, qui cum Lollingius primum laterculi nomen *Ε[ἰ]ρακλει|τονάστας Γαύρε[ι]|ος* esse putasset, haec sic distinxit: *Σουϊδάουν τὸ κοινὸν Ε[ἰ]ράκλει|τον· Ἄστας Γαυρε[ι]|ος, Ἀντιμένουν Βρ[υ]|θιάδαιος κτλ.*, ut appareat titulum honorarium esse. Qui sint Suidae, dubitari potest; at civitatem aut ut Reuterus dicit '*urbem*' esse omnium maxime improbabile est. Namque ut mittam formam nominis patronymicam, quae in civitate designanda non inaudita quidem est — sunt enim Oeniadae Acarnaniae, Homiliadae regionis Oetaeae — sed perrara tamen; hoc igitur ut mittam, num credibile est paucos illos homines, quorum nomina appositionis loco adduntur vocabulo *Σουϊδάουν τὸ κοινὸν*, totum populum esse? Accedit, quod lapis Larisae inventus videtur, etsi definite testatum id modo habemus, eum illic exstare in museo. Summam igitur probabilitatem

habet, Suidas tribum aut phratriam aut, quod mihi propter paucitatem hominum maxime placet, gentem (*γένος, πάτραν*) populi Larisaei fuisse.

Transeamus nunc ad alium titulum Thessalicum longe diversi argumenti, quem item II.
Lollingio acceptum ferimus (Mitth. des arch. Inst. VIII p. 23 n. 1). Est epigramma dedicatorium duorum distichorum elegiacorum, cui subiunguntur nomina Heraclidis Tralliani poetae et Sosimenis Sosimenis f. sculptoris. Ipsi versus a Lollingio sic leguntur:

Οὐχ ἁμῖν πλούτοιο τόσα χάρις ὅσσον ὁ σύμπας
αἰὼν ἁμετέραν εἴσεται εὐσεβίαν.
Αἱ τὺ χαρ[ῇ]ς ὁσίως, Κερδώϊε,) δαμοκρατείων,*
ἄν[θ]εμ[α Σι]μ[ύλε]ω δέξο καὶ Εὐκρατίδα.

Sed quum reliqua nihil offensionis habeant, in versu tertio primum participium quod est *δαμοκρατείων* ferri nequit; nam quae exstant exempla diphthongi *ει* simplicis vocalis *ε* locum tenentis in sermone poëtarum epicorum, ea cum ex parte ipsa incerta sunt, tum nullum eorum illius simile est. Deinde displicet asyndeton, displicet coniunctivi usus in eo enuntiato, cuius sententia Attice utique verbis *εἰ χαίρεις*, non *ἐὰν χαρῇς*, exprimi debebat. Denique ne sententiam quidem plane aptam esse existimo. Dedicatio privata est; quare de favore dei erga eos qui donum ei offerunt potius dicendum fuit, quam de imperio totius populi, quod penes illum deum fuisse per se sane recte enuntiatur. Quibus de causis in fine versus alterius virgula, non puncto distinguendum, et deinde sic pergendum puto:

ἇι [i. e. *εὐσεβίᾳ*] *τὺ χαρ[εὶ]ς ὁσίως, Κερδώϊε, Δαμοκρατείων*
ἄνθεμα [Σι]μ[ύλε]ω δέξο καὶ Εὐκρατίδα.

Extrema igitur tertii versus vox non participium est, sed adiectivum patronymicum plurali numero, genetivo casu positum. Eiusmodi adiectiva, ubi fratrum coniunctim mentio fit, plurali numero adici solere vix est quod exemplis demonstrem. Cf. tamen Bulletin de correspondance Hellénique IX (1885) p. 221 n. 2: *Εὐδέξιος Βύλιππος Βυλιάδαιοι.* Item in titulo Larisaeo duo sunt eiusmodi exempla, *Στάσουν Δικαιοκράτεις Λεσχίναιοι, Φίλιππος Μένανδρος Ἀντιμάχειοι.* Ceterum v. 4 nomen *Σιμύλεω* a Lollingio restitutum retinui, etsi neque vestigiis ab ipso enotatis satis accurate respondet neque per se offensione caret. Sed quum mihi non contigerit ut melius invenirem, ineptum visum est aliud aeque improbabile in eius locum substituere.

Per hanc occasionem liceat mihi paucis recurrere ad epigramma illud sepulcrale Thebanum, de quo verba feci in Commentationibus E. Curtio oblatis p. 289. Sero enim animadverti, me in initio versus hexametri alterius supplendo spatii rationes non satis accurate respexisse. Nam quum Kaibelius quattuor litterarum lacunam indicaverit eique suum supplementum *ἧμ[ετέρ]ων* accommodaverit, meum *ἧμ [προλιπ]ὼν* iusto longius esse apparet. Sed nequaquam propterea rationem, quam in titulo restituendo secutus sum, totam relinquendam iudico, praesertim cum praesto sit aliud verbum, quod lacunae magnitudini accurate respondeat, sententiarum vero conexioni etiam aptius sit quam illud. Quare sic nunc legendum puto:

Σοῦ μὲν δὴ πατρὶς δήν, Κερκίνε Φοξίου υἱέ,
Ποντιὰς Ἡράκλει' ἕξει ἄχος φθιμένου,
ἧμ [ποθέ]ων ἐγ χερσὶ φίλων θ[άνες. οὔ]ποτ' ἐπαίνου
[λησόμ]εθ'. ἦ μάλα γὰρ [σὴν φ]ύσιν ἠγασάμην.

) Hoc metrum postulare monuit Reuter de dial. Thess. p. 48 not., cum apud Lollingium, mero ni fallor typothetae errore aut calami lapsu, *Κερδῷε* expressum sit. At graviores quae in hoc versu insunt difficultates Reuterum fugisse videntur, quippe qui eum plane talem qualem Lollingius habet exscribat. Idem facit E. Loewy Inschriften Griechischer Bildhauer p. 195 n. 278.

III. Arti criticae etiam in inscriptionibus satis amplum campum patere vix quisquam negaverit. Sed longe alias eius rationes esse atque in scriptorum verbis, quae codicibus medii aevi ad nostram aetatem propagata sunt, restituendis apparet. Quod enim illic rarius usu venit, ut lacunae temporum iniuria ortae explendae, disiecta membra verborum et enuntiatorum inter se coniungenda atque consarcinanda sint, in eo hic summa negotii critici posita est. Contra emendatione raro opus est, certe in eis lapidibus, qui hodie quoque exstant, ut non exemplorum neglegenter aut imperite confectorum fide standum sit, sed accurate sciri possit, quid exaratum sit in lapide. Quam caute in hac re agendum sit sane nonnunquam neglexerunt qui a scriptorum exemplaribus tractandis ad titulos se contulerunt, ideoque coniecturis temerariis ac probabilitate omnino carentibus inscriptionum verba vexaverunt. Sed ex altera parte nonnulli homines artis epigraphicae peritissimi, quum effrenatam illam libidinem suo iure indignarentur, non satis caverunt ne in contrarium vitium incurrerent. Nam superstitio, quippe quae veri investigationi vel maxime obsit, in omni doctrinae genere vitanda est; atqui eum, qui lapicidas nunquam errasse persuasum habeat, nonne iure superstitiosum dicemus? Quare ubi certis atque necessariis rationibus demonstrari potest, quae in lapide sint errori alicui deberi, non dubitabimus ea emendare. Cuius rei exemplum hic proponere libet, ubi etsi adhuc nemo offensus est, tamen me de errore lectoribus plane persuasurum spero. In Corpore Inscriptionum Atticarum II 181 expressum est decretum populi Atheniensium Cephisodoro archonte (Ol. 114, 2. a. Chr. 323/2) factum, quo Lapyris Calliae f. Cleonaeus proxenus Atheniensium collaudatur propter merita quaedam, quae ad Nemeorum theoriam spectasse apparet, etsi accuratiora propter mutilam lapidis condicionem explorari nequeunt. In fine ex more de titulo inscribendo praecipitur his verbis: *ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα [τὸν γραμ]|ματέα τῆς βουλῆς [ε]ὶς τὴν στήλ[ην] τὴν ἐν ἀκροπόλει ἐ[ν] ᾗ γέγραπται Ἐχεν[βρότῳ] | Κλεωναίῳ τῷ προξένῳ τῷ Λαπύ[ριος] | ἡ προξενία.* Non fugit Koehleri sagacitatem, haec verba ad titulum initio quarti a. Chr. n. saeculi incisum C. I. A. II 29 spectare, qui indicem argumenti in superiore parte scriptum habet *[Κλε]ωνα[ί]ον προξέ[ν]ον | Ἐχεμβρότον.* Sed ut res ipsa perspicua est, ita verba quibus enuntiatur plane insoliti aliquid habent. Nam ne dicam de additamento *τῷ προξένῳ* ante *ἡ προξενία* non otioso modo et languido, sed admodum molesto, quis tandem credet hoc miro verborum ordine *Ἐχεμβρότῳ Κλεωναίῳ τῷ προξένῳ τῷ Λαπύριος* auctorem rogationis usum esse, quum et posset et deberet simpliciter et ex more dicere *Ἐχεμβρότῳ Λαπύριος Κλεωναίῳ τῷ προξένῳ?* Illa enim verborum compositione ne licebat quidem uti, nisi si genetivus *Λαπύριος* a substantivo *τῷ προξένῳ* penderet; quam in partem pauca exempla attulisse satis erit: C. I. A. II 8 *Λεπτίνην τὸν ἀδελφὸν τὸν Διονυσίου καὶ Θεαρίδην τὸν ἀδελφὸν τὸν Διονυσίου.* II 91 *Ἰσόδημον τὸν ἀδελφὸν τὸν Λυκομήδους.* II 331 *Θυμοχάρης ὁ ὑὸς ὁ τούτου, πατὴρ δὲ Φαίδρου.* II 66 b...... *ύνιος ὁ ἀδελφὸς ὁ Κετριπόριος.* Dem. XIX 195 *τὸν Ἀλέξανδρον τὸν ἀδελφὸν τὸν Φιλίππου.* 196 *Ξενόφρονα τὸν υἱὸν τὸν Φαιδίμου.* Denique nihil interest hic indicari patri antiqui illius Echembroti item Lapyrin nomen fuisse; at desideratur eius necessitudinis significatio, quae inter Echembrotum et h u n c Lapyrin, cuius est titulus C. I. A. II 181, intercedat (cf. C. I. A. II 121 *Φορ[μ]ίωνα τὸν Φορμίωνος καὶ Καρ[φ]ίν[α | πάππο]ν.* II 193 *οἱ πρόγ]ονοι οἱ Εὐρυλόχου Κι[......καὶ] Ἀκέσανδρος*). Quibus omnibus reputatis nullus dubitandi locus relictus videtur, quin lapicida cum incidere deberet *εἰς τὴν στήλην — ἐν ᾗ γέγραπται Ἐχεμβρότῳ Κλεωναίῳ τῷ π ρ ο γ ό ν ῳ τῷ Λ α π ύ ρ ι ο ς ἡ προξενία*, verbis *Λάπυρις ὁ πρόξενος*, quae in priore tituli parte non semel scripta erant, in errorem inductus hic quoque *τῷ προξένῳ* exaraverit.

Pergo ad contrarii generis exemplum, ubi mea quidem sententia, quae recte atque perspicue scripta sunt, iniuria in dubitationem vocantur. Tabula illa nobilissima qua continetur lex coloniae a Locris Opuntiis Naupactum deducendae (Oekonomides *Ἐποίκια Λοκρῶν γράμματα*, Athenis 1869. G. Curtius Studien z. griech. und latein. Grammatik IV pag. 441 sqq. W. Vischer kleine Schriften II pag. 172 sqq. Roehl I. G. A. 321. Cauer Del. inscr. 229 ed. 2) incipit a litteris *ΕΝΝΑΥΠΑΚΤΟΝΚΑΤΟΝΔΕΗΑΠΙϜΟΙΚΙΑ.* Quas cum antiquiores editores varie interpretati essent, Roehlius, quippe qui nullam ex eis interpretationibus ferri posse persuasum haberet, omissis haud paucis litteris corruptum locum ratus sic restituere conatus est: *Ἐν Ναύπακτον κα(τ) τόνδε ἁ[γέστω τὸν νόμον ἐ]πιϝοικία.* Ac pleraque quidem, quae ad defendendam lectionem traditam prolata erant, quin iure meritoque spreverit vir doctissimus nemo dubitabit. Sic Oeconomidis lectionem *ἐν Ναύπακτον κα τῶνδε εἴα (ἐ)πιϝοικία* compluribus de causis ferri non posse apparet, quas exposuit Curtius praeter unam eamque gravissimam, quod optativi *εἴη* littera finalis neque in dialecto Locrica neque omnino usquam nisi apud Eleos in *α* mutatur. Non melior est lectio *κατ τόνδε*, in qua subauditur *νόμον*, quod omitti nullo pacto poterat. Sed quod Curtii quoque lectionem *ἐν Ναύπακτον κα(τ) τῶνδε ἁπιϝοικία* damnavit Roehlius, id eatenus quidem non iniuria fecit, quod eum argumentis non satis idoneis usum esse iudicavit. At melioribus certioribusque eam stabiliri posse confido. Primum igitur quod in hac scriptura offensionem habeat, est genetivi usus (*κατ τῶνδε*) pro eo quod dici debebat *κατὰ τάδε.* Quem usum quod Curtius exemplis *καθ' ἱερῶν ὀμνύναι, εὐχὴν ποιεῖσθαι κατά τινος, καθ' ὅλον, κατὰ παντὸς, κατὰ κοινοῦ*, quae ad unum omnia ne levissimam quidem cum illo similitudinem habent, defendere posse sibi visus est, iure mireris. Probabilius alterum est, quod addit, in praepositionibus usurpandis reliquas dialectos multis modis discrepare ab Attica. Quod etsi sine controversia verum est, tamen ad dubitationes de tradita lectione dissolvendas non sufficit, sed desideramus certa exempla, quibus quod p o t u i s s e fieri apparet, re vera factum demonstretur. Neque desunt eiusmodi exempla: primum enim in tabula illa Larisaea de peregrinis in civitatem recipiendis, cuius supra identidem mentio facienda fuit, scriptum est *καπ παντὸς χρόνου*, quod Attice *κατὰ πάντα χρόνον* dicendum fuisse nemo ignorat. Qui titulus etsi eandem praepositionem eundemque casum habet, tamen ne eo quidem omnis scrupulus removetur; neque enim eiusdem dialecti est neque praepositio eadem vi usurpatur atque hic. At plane geminum exemplum eius quod in tabula Naupactia habemus exstat in titulo Opunte (*Talanti*) invento, quem ediderunt Kumanudis *Ἀθηναίου* I. p. 489 et R. Weil Archaeologische Ztg. XXXI (1874) p. 142, cuius clausula sic se habet: *ἐνφαινέτ[ω δὲ .... ποτὶ τὰ]ν βουλὰν καθ' ὧν καὶ τὰς ἄλλας ἐνφανίας, καὶ ὑπόδικος [ἔστω ὅςτις κ]α μὴ τιθῇ, δέον αὐτόν.**) Hic sane nonnulla obscura sunt; sed id unum, quod nunc nostra interest scire, luce clarius est, in titulo Locrico *καθ' ὧν* dici pro eo quod Attice est *καθ' ἅ.* Quod si quis *καθῶ(ς)* emendare conaretur, duorum testium consensu refelleretur. Quare nullus relinquitur dubitationi locus quin Locri Orientales *κατ τῶνδε* pro *κατὰ τάδε* dixerint. Alteram difficultatem invenire sibi visi sunt homines docti in crasi *ἁπιϝοικία*; nam *α* et *ε* apud Locros more vere Dorico in *η*, non in *ᾱ* contrahendum fuisse. Sed primum quidem de Doriensium universorum consuetudine hic dici omnino non licet; nam ut in contractione

---

*) Supplementa mea sunt. Extremum enuntiatum (q u i n o n p e r s o l v e t, c u m d e b e a t) non modo supplere, sed ne distinguere quidem et interpretari ausi sunt editores. Weilius enim litteris minusculis in hoc versu nihil exhibet nisi........ *αὐτόν*, Kumanudis sine accentibus verborumque distinctione *αμητιθηδεοναὐτον* legit.

vocalium vicinarum eiusdem vocis sane magna similitudo intercedit inter gentium Doricarum dialectos, sic in crasi quam dicunt fere unaquaeque regio suum morem secuta esse videtur. Certe scimus vocales *οα* apud Argivos, ut apud Athenienses, in *ᾱ* conflatas esse (*τἀργεῖοι* Roehl I. G. A. 32. 33. *τἀργείον* I. G. A. 42), apud vicinos Laconas aliosque Dorienses, ut apud Iones Asianos, in *ω* (Ahrens Diall. II p. 222). Quod si Locricum morem scrutamur, nihil inveniemus, quod vetet *ἀπιϝοικία* legi. Namque ex duobus exemplis vocalis *η*, quae Curtius attulit, alterum, *θωἤστω* pro *θώα ἔστω* (Roehl I. G. A. 322) omnino in censum non venit. Nam hanc Oeconomidis lectionem Kirchhoff, Ahrens, Roehl, Cauer iure spreverunt, etsi inter ipsos non convenit. Ac mihi quidem lectio Roehlii, qui verba *διπλείῳ θωέστω* respondere vult Atticis *τῷ διπλῷ ζημιούσθω*, maxime arridet, nisi quod non perspicio, quo iure *θωέστω* scripserit, cum appareat *θωήστω* potius (Att. *θωάσθω*) legendum esse. Etenim a *θῳα* verbum *θωᾶν* descendit ut a *νίκη νικᾶν*, a *τιμὴ τιμᾶν*. Cuius verbi sane in litteris Graecorum nusquam praeterea exstantis, sed recte ac legitime formati, vel in dialecto Attica vestigium deprehendisse mihi videor; namque in titulo C. I. A. II 841 (Syll. I. G. 359) restitui *ἂν δὲ ἐλεύθερος εἶ, θ ω ά σ ε ι* (Koehlerus in lapide legit *ΟΟΛΣΕΙ*) *αὐτὸν ὁ ἱερεὺ[ς] μετὰ τοῦ δημάρχου πεντήκοντα δραχμάς*, neque facile inventum iri puto, quod huic lectioni praeferendum sit. Sed utut hoc est, certe a quaestione de crasi Locrorum plane removenda sunt verba illa tituli Oeanthensis. Restat alterum Curtii exemplum, ex ipsa tabula Naupactia petitum, *τὴν* pro *τὰ ἐν*. At hoc allatum omnino non esset, nisi in hoc toto de contractione et crasi loco tractando nimis neglegi solerent a grammaticis quantitates vocalium. Quidni enim statuamus, *ᾰε* quidem et *ᾰη* apud Locros in *η* coaluisse, *ᾱε* vero in *ᾱ*? Quod eo probabilius est, quia accurate respondet ei legi, quae apud Dorienses in vocalibus eiusdem vocis contrahendis observatur. Quam Ahrensius sane Diall. II p. 195 ita definivit, ut in flexione verborum in *-αω* cadentium ex contractione vocalium *α* et *ε* (*η ει*) nasci diceret *η*, praeterea vero (*ἅλιος, ἀργᾶντα, ἀλκᾶντα, φωνᾶντα*) *α* productum. Quod etsi verum est, tamen causam atque rationem discriminis hac regula patefactam non esse quivis videt. Immo eo hoc referendum, quod in verborum illorum declinatione non contrahuntur nisi *ᾰε, ᾰη, ᾰει*, quum in nominibus, quae supra commemoravi, ubique *ᾱε* sit. Quare non est cur Locros *ἀπιϝοικία* pro *ἁ ἐπιϝοικία* pronuntiasse et scripsisse negemus. Tertiam denique difficultatem iam Curtius removit, quum diceret, notam spiritus asperi additam articulo, qui sane reliquis huius tabulae locis ea careret, propter inconstantiam, quae in aliis vocibus in hac nota modo addenda modo omittenda cerneretur, nihil miri habere. Fortasse propterea, quia vocalis articuli cum initiali vocis subsequentis vocali conflata quodammodo evanuit, nota spiritus, qua alibi facilius carebatur, hic perspicuitatis causa addita est.

V. Inscriptionum utilitatem magna parte ex accurata loci aetatisque definitione pendere, inter omnes constat. Ac tempus quidem quo quisque titulus exaratus sit explorare difficile est lubricumque negotium, ut quo quis magis versatus est in arte epigraphica, eo cautior esse soleat, neque confidenter de ea re loquantur fere nisi imperiti. Quod contra de loco ubi tituli inventi sint rarissime quaerendum est; aut enim, quod plerumque usu venit, certis testimoniis de ea re plane constat, aut ubi nulla exstat originis memoria, quod non ita raro accidit in lapidibus qui superioribus saeculis e Graecia delati exstant in museis Italiae, Galliae, Angliae publicis privatisque, nullo artificio iam quicquam certi explorari potest. Sed sunt etiam inscriptiones, quae rationibus ex argumento et sermone repetitis certo cuidam oppido vindicari possint. Quo in genere mihi videtur esse lapis nunc in oppido Richmond comitatus Surrey apud Franciscum Cook conservatus, cuius inscriptionem edidit A. Michaëlis Archaeologische Zeitung XXXII (1874) p. 59 n. 13. Ea sic se habet:

ΣΤΡΑΤΩΝΚΑΙΕΥΤΑΞΙΑΟΙΣΤΡΑΤΩ
ΝΟΣΤΑΝΣΤΑ
ΛΑΝΥΠΕΡΤΟΥΠΑΤΡΟΣΣΤΡΑΤΩ
ΝΟΣΤΟΥ.Β.
ΠΡΟΤΙΜΩΣΑΡΧΙΕΡΑΤΕΥΣΑΝΤΟΣΚΑΙΔΑ
ΜΑΡΧΗΣΑΝΤΟΣΚΑΙΠΡΗΓΙΣΤΕΥΣΑΝ
ΤΟΣΚΑΤΑΠΟΛΙΝΜΟΝΑΡΧΕΥΡ.

Hunc titulum editor Creticum esse colligit ex verbo *πρηγιστεύσαντος*, cuius formam illius insulae dialecto maxime accommodatam iudicat. At alia insunt, quae mea quidem sententia cum hac originis definitione conciliari nequeunt. Inter quae maximi quidem momenti est vocabulum *μοναρχεῦν[τος]* v. 7. Namque *μόναρχος* magistratus summi nomen a Cretensium civitatibus alienum est, in quibus et scriptorum et titulorum testimonio constat summum dignitatis locum tenuisse collegium cosmorum, inter quos unus principem locum habebat, qui in inscriptionibus nonnullis *πρωτόκοσμος* vocatur. Sed etiam extra Cretam illud honoris vocabulum rarissimum est, neque civitates quae talem magistratum haberent adhuc plures repertae sunt quam duae admodum vicinae inter se, Coos dico et Calymnios. Ac de Coorum quidem monarchis satis magna exstat testimoniorum copia, ex quibus discimus magistratum annuum fuisse, eorumque nominibus annos significari consuevisse. Praeter Sorani vitam Hippocratis, qui eum Abriada monarcho, sexto et vigesimo mensis Agrianii die natum refert, quattuor tituli aetatem tulerunt, in quibus is mos tempora definiendi servatur: 1) *Ἐπὶ μ[ον]άρχου Νικόφρονος* Ross Inscr. inedd. fasc. III p. 10 n. 175. Leake Transactions of the Royal Society of Literature 1843 p. 19 n. 44. Rayet Annuaire de l'association pour l'encouragement des études Grecques IX (1875) p. 281 n. 7. 2) *Ἐπὶ μονάρχ[ο]υ Πραξ[ιμ|έν]ευς μηνὸς Ὑακινθίου* Bulletin de correspondance Hellénique VI (1882) p. 249. 3) *Ἐπὶ μονάρχου* .... Bulletin de correspondance Hellénique V (1881) p. 238. 4) [*Ἐπὶ μο*]*νάρχου* .... Bulletin de corr. Hell. VII (1883) p. 478 n. 1. Praeterea bis in honoribus hominum nobilium enumerandis huius magistratus mentio fit (*μοναρχήσαντα* Annuaire de l'association IX (1875) p. 269 n. 2. *δὶς μοναρχήσαντα* ibid. p. 273). Denique titulus ibidem editus p. 321 n. 11 testatur Hecatodorum monarchum cum octo hieropoeis rem nescio quam Aesculapio et Hygiae consecrasse.*) Qua ex re cave cum Rayeto (p. 271) colligas, hunc magistratum nullam in re publica administranda potestatem habuisse, sed ad cultum deorum modo spectasse. Quam rem sic se habere potuisse non nego. Sed quae adhuc tenemus testimonia neutram in partem certum iudicium ferri sinunt. Quum enim officia publica et sacerdotalia haud raro coniuncta fuisse in eodem magistratu constet, neque dedicatio illa cum hieropoeis facta neque quod in titulo honorario p. 269 n. 2 monarchia coniungitur cum sacerdotiis quibusdam ab eodem homine gestis, ad id probandum sufficit, quod Rayetus demonstrasse sibi visus est. Multo obscurior etiam memoria est monarchi Calymniorum, ita ut ipsum editorem eorum in quibus continetur titulorum fugisse videatur. Nempe in editione inscriptionum Musei Britannici II p. 92 sqq. n. CCCVI (a—f). CCCVII. CCCVIII Newtonus edidit manumissionum instrumenta, quae pleraque incipiunt a litteris *ΕΠΙΜΟ*.**) Ac quater quidem scriptum est *Ἐπὶ Μο. Κλωδιανοῦ*, semel *Ἐπὶ Μο. Φλαουΐου Κλω-*

---

*) Praeterea vox *μόναρχος* bis occurrit in fragmento apud Newtonum Greek Inscriptions in the British Museum II p. 105 n. CCCXXXIX, cuius argumentum incertum est.

**) Littera *O* supra *M* scripta est et supra ipsam rursus linea transversa.

διανοῦ. Quae exempla editor sic interpretatus esse videtur, ut illae duae litterae initium nominis gentilis Romani efficerent, veluti Μόμμιος, Μονήτιος, Μόντιος, Μούκιος, Μουνάτιος, Μουνδίκιος, Μούρδιος; certe aliter non intelligitur cur in transcriptione ubique littera initiali maiuscula usus sit. Sed hanc opinionem refellit tit. CCCVIII v. 3 ubi legitur Ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ Μο. τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, unde apparet magistratus potius nomen esse; quod quin μο[νάρχου] supplendum sit, eo minus dubium est, quia Newtonus ipse, ubi de Coorum monarchis dicit (p. 105 ad tit. CCCXXXIX) ferias quasdam Calymniorum Μονάρχια vocatas esse docet ex titulo a se edito Journal of Hellenic studies II p. 362. Neque huic nostrae interpretationi obstant mira sane duarum manumissionum praescripta Ἐπὶ μο[νάρχου] τοῦ Ἀσκληπιοῦ τὸ γ′. Quibus sane non hominem deo cognominem, sed ipsum deum significari propter articulum certum est. Sed Calymnios ad ipsum deum Aesculapium summum in republica magistratum detulisse nemo mirabitur, qui meminerit infima illa aetate plane similia huius vanitatis potius quam superstitionis exempla vel Athenis inveniri, ubi Minerva Polias inter prytanes (C. I. A. III 1054. 1055. 1056. 1062), Telesphorus Aesculapii filius inter ephebos recensetur (C. I. A. III 1159. 1181*)). Sed etsi his testimoniis Calymnae quoque monarchum fuisse probatur, tamen quin titulus ille, a quo profecti sumus, Cous potius quam Calymnius sit, non videtur dubitandum. Neque enim casui tribuendum est, quod etiam reliqua duo munera quae illic inveniuntur, apud Coos fuisse ex aliis inscriptionibus scimus. Namque ἀρχιερεὺς quidem — ut taceam de titulo Bull. de corr. Hell. V (1881) p. 473, ubi definite ἀρχιερεὺς τῶν θεῶν καὶ ἱερεὺς [διὰ βί]ου τῶν Σεβαστῶν dicitur, quod sacerdotium ab illo distinguendum iudico — recensetur apud Rossium Hellenicorum II, p. 95 n. 17: [σ]τεφαν[η|φ]όρον κ[αὶ | ἀ]ρχ(ι)ερέω[ς | [Π]οπλίου | [Τ]ρεβίου Φιλέρωτος. Damarchus vero est in titulo quem edidit idem II p. 94 n. 14: [Ἐ]νιαυτοῦ πρώτου τᾶς | [Γαΐ]ου**) Καίσαρος Γερμανικ|οῦ υἱοῦ Γερμανικοῦ Σεβα|στοῦ ἐπιφανείας, δαμά|ρχεῦντος Σέξτου Ποπιλλίο[υ | ......]υἱοῦ Ῥούφου φιλο|καί|σαρος καὶ φιλοδά]μου.***) Quo in titulo Rossius, quum adnotaret de anno, quo C. Caesar in insula Co commoratus esset, nihil memoriae proditum esse, minus recte intellexisse mihi videtur vocabulum ἐπιφανείας, quod mea quidem sententia nequaquam idem significat atque ἐπιδημία, sed initium imperii indicat. Proprie enim dicitur de deis qui in terras descendunt ut ab hominibus conspiciantur, inprimis si adventus eorum laetus atque salutaris est generi humano. Quod vero princeps qui imperio potitus est quasi deus ex caelo in terras se demisisse dicitur, id plane accommodatum est ei generi adulationis, quod tum temporis per orbem terrarum ac maxime quidem per orientem latissime fundebatur. Quod melius, quam longinqua disputatione doceri potest, ex titulo Cyziceno ad eiusdem Gai imperatoris initia spectante intellegitur, quem edidit E. Curtius Monatsberichte der Kgl. Akademie d. W. zu Berlin 1874 p. 16 n. IV (unde repetivi Syll. I. G. 279). Apparet

*) Ridicula haec esse nemo facile negabit. Sed non minus ridicula vel nostra memoria inter homines Christianos accidisse non sine admiratione intellexi cum perlegerem egregium H. Baumgarteni librum, quo res in Hispania inde a fine superioris saeculi gestas enarravit. Ibi enim inveni (III p. 463) per funestum illud bellum civile, quod ante hos quinquaginta annos ortum est inter sectatores Isabellae Ferdinandi septimi filiae et Caroli eiusdem fratris, Carolum sollenni decreto summi imperatoris munus ad Sanctam Virginem detulisse.

**) Sic supplevi; C. Caesarem qui vulgo Caligula appellatur significari ne Rossium quidem fugit, sed tamen [τ]οῦ scripsit. M. H. E. Meier adnotat, etiam [θε]οῦ legi posse, quia in Asia hoc vocabulum etiam de imperatoribus superstitibus usurpetur. Hoc verum quidem est, sed tamen neutrum supplementum recte se habet, quia praenomen omitti nullo modo licet.

***) Quum in Rossii exemplo ΜΟΥ sit, non video, cur φιλορωμαί]ου supplere maluerit.

igitur, titulum Coum anni 37/8 p. Chr. n. esse. Sed ut redeamus ad damarchum, manifestum est hunc non toti populo praefuisse, sed pago cuidam; fuisse enim plures insulae illius pagos, qui ut apud Atticos δᾶμοι vocabantur, ex inscriptionibus cognoscitur, in quibus commemoratur ὁ δᾶμος ὁ Ἰσθμιωτᾶν, Ἀντιμαχιδᾶν, Αἰγηλίων, Ἀρχιδᾶν, Ἁλασαρνιτᾶν. Qua re perspecta facilius discernemus, quaenam ratio intercedat inter honores qui in illo titulo enumerantur. Atque id quidem pro certo affimari potest, etiam μοναρχεῦν[τος] spectare ad Stratonem. Sane cuipiam in mentem veniat, supplendum esse μοναρχεῦν[τος τοῦ δεῖνος]. Sed eiusmodi temporis definitiones cum omnino rarae sunt in titulis dedicatoriis, tum in insula Co adhuc nullum eius generis exemplum inventum est. Videmus igitur extremo loco summum universae reipublicae Coorum magistratum recenseri, inter eos qui antea commemorentur honores unum certe pagi esse. Iam quo reliqui duo referendi sint videamus; atque sacerdotium quidem ipsum quoque pago, non reipublicae tribuendum esse ex ordine ac collocatione colligi licet. At de illo munere, quod vocabulo πρηγιστεύσαντα significatur, res ambigua est. Sive enim κατὰ πόλιν illuc referimus, reipublicae, sive ea verba cum insequente μοναρχεῦντος coniungimus, pagi esse statuendum est. Atqui hoc mihi magis placet, quia ubi transitur ab altero honorum genere ad alterum, ante primum huius generis munus vocabulum collocare, quo discrimen indicetur, aptius est, etsi desideraveris in eo verborum ordine particulam adversativam (κατὰ δὲ πόλιν). Ceterum non neglegendum est, reliqua omnia aoristi participiis indicari, unum monarchi magistratum praesentis temporis, ut non modo eo tum cum monumentum erigeretur Stratonem functum esse appareat, sed etiam veri simile sit, eum ipsum honorem dedicationis causam fuisse.

